

clusique sunt, atque hisce litteris nostris de verbo ad verbum inserti sunt, ratificamus, confirmamus, et approbamus, acceptamusque, assecurantes praefatum principem, ejusque successores legitimos Transsilvaniae principes, in verbo nostro Caesareo regioque bona fide mediante, quod eos omnes et singulos in omnibus eorum punctis, tam nos ipsi sancte, inuiolabiliterque obseruabimus, quam per alios omnes cujuscunque ordinis et status homines nobis subiectos, observari faciemus. Ad quod observandum etiam successores nostros legitimos scilicet Hungariae, Bohemiaeque reges obligatos esse volumus. Harum nostrarum manus nostrae subscriptione, sigillique nostri impressione munitarum, vigore et testimonio litterarum. Datum Viennae 23. Januarij 1620.

Gleichz. Cop. Staats-Archiv.

---

XXXVI.

... Jänner 1620.

Nos Gabriel, Dei gratia, regnorum Hungariae, et Transsilvaniae princeps, ac Siculorum comes etc. Memoriae commendamus tenore praesentium, quibus expedit, universis. Quod cum anno superiore primum in regno Bohemiae, postea in inelyto hoc quoque Hungariae regno, periculosissimi admodum motus excitati fuissent, et ii quidem non sine larga sanguinis Christiani effusione, regnorumque horribili devastatione, ad aliquod temporis spacium protracti, nos quoque pro asserenda regnorum publica libertate, sedandisque hujusmodi tumultibus, e regno nostro Transsilvaniae vocati, suppetias regnis istis, ac provincis periclitantibus laturi, advenissemus, resque tantopere successisse videntur, ut et sacrum inelyti hujus regni Hungariae diadema, una cum arce, civitateque libera Poseniensi, in nostram redactum potestatem, statusque, et ordines regni Hungariae, in generali, frequentissimoque ipsorum, per illustrissimum dominum comitem Sigismundum Forgaes de Ghymes, regni ejusdem palatinum, indicto legitime conventis, ejus animi, intentionisque fuissent, ut nos non tantum in regem ipsorum eligere, sed et coronare parati, certas etiam electionis conditiones, quas prae manibus tenemus, exhibuissent, et praesentassent, interea vero temporis, a Sacratissima Caesarea, regiaque Majestate vestra, de pace tranquillitateque regnorum istorum restituenda, benigne praemoniti, placuit utrinque statim per certos tractatus pacis potius, quam infestis ulterius armis, in mutua saevire viscera, rem attentare.

Igitur ex parte nostra, sufficientibus datis obsidibus, ex parte Majestatis vestrae Caesareae, regiaque vicissim legati ejusdem illustrissimus, ac reverendissimus dominus Valentinus Lépes, archiepiscopus Colocensis, administrator episcopatus Jauriensis, locorumque eorundem comes perpetuus, per regnum Hungariae aulae cancellarius, et consiliarius, spectabiles item ac magnifici D. D. Leonardus Helfridus comes a Meggau, et L. B. in Meggau, et in Creuzen, intimus consiliarius ac camerarius, et capitaneus dominiorum Forehenstein, et Eisenstat, Sigefridus Christophorus Preiner, L. B. in Stubingh, Fladnitz, et Rabenstein, dominus in Stacz, et Aspern, intimus consiliarius, et camerarius, nec non Thomas Nadasy de Pethenyed, itidem